

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0591

0589

0595

0585

0600

0580

0640

0540

0690

0490

1090

0090

Ende

Anfang

18  
coeci aberramus. O infidus rerum mortalium status, et sine te, Deus bone, calamitosum omne quod vivimus! O tempora et mores! Tempora turbatissima! Tempora calamitosa! Mores reprobri! Mores perdit et cleri et populi! Tempus, de quo tandem dicitur: venit summa dies et ineluctabile tempus. Tempus, in quo juxta vetustum prophetae vaticinium omne caput languidum, et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo ulla sanitas. Propter peccata ergo nostra et iniquitates parentum nostrorum Jerusalem et terra illa et sancta loca in opprobrium nostrum subjecta gentibus dehonestantur et conculcantur a canibus, atque a perfidis jam ecce CCC annis profanantur, et in sanctissimi nominis Christi dedecus maledictis illis Sarracenis et blasphemis manet subiecta, neglecta adeo u nostris et inulta, tantisque repleta haeresibus et malis, nostrorum haud dubio culpis et negligentiis. Nec modo lugendum devoto cuique Christiano hisce pensatis aerumnis, sed et recurrendum assiduis ad Deum precibus, clamandumque ad Deum in fortitudine, incessanterque orandum, quatenus vel reliquae parti sortis suae misereatur, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, gentemque auferat perfidam credentium de finibus, ut sibi laudes debitas persolvamus alacriter, Amen.

Si cui placet legere luctuosam orationem super desolationem terrae sanctae et civitatis Jerusalem, et lamentabilem deplorationem ecclesiae orientalis, et miserabilem planctum ecclesiae occidentalis super ejus vitioso et miserrimo statu, et fidelem exhortationem regum, principum et nobilium occidentalium, videat peregrinatorum domini Bernhardi de Brattenbach, decani ecclesiae Moguntinensis, compositum ornate per egregium sacrae theologiae magistrum Martinum Roth, studii Heidelbergensis regentem, Ordinis Praedicatorum; et ibi videbitur clare de omnibus antedictis, videbit etiam brevibus verba alia, quae ego multis expressi, et concordantiam ipsius peregrinatorii et mei evagatorii inveniet, demto, quod ego ex industria, coactus ratione, quandoque mutavi dies, dicens: hoc factum tali die, quod ipse alia die factum dicit, in quo nulla vis aut discordantia, cum etiam apud evangelistas hoc factum fuisse constet legenti scripturas.

